

213

211

217

207

dominus et possessor illius speluncae, unde audaciam accepit
petendi censem pro jure sibi debito.

222

Sexta, quae fuit dominica VI. post Trinitatis, antequam
pleue illucesceret, rediit ille saevus exactor, qui in sero nos
vexaverat, et posuit se cum fuste ad fores speluncae, nec ali-
quem sinebat exire ad opus naturae complendum, nisi dato sibi
denario. Quem cum impatientia solvimus omnes, et non tantum
imputavimus exactori, quantum patronis et patri Gardiano et
Trutschelmanno, qui superius sub papilionibus quiescebant, et
nos hic incarceratos novis exactionibus vexari sinebant, qui
tamen tenebantur nos protegere et ab his defendere. Itaque
denario soluto permissi sumus exire ad necessitates naturae,
nec ausi fuimus longius ire, nisi ad oram maris, quia undique
circumdati fuimus armatis paganis. Interea venerunt merca-
tores cum suis mercibus, et cocci cum suis instrumentis, et
juxta nos pro lucro suas operas exponebant, et diem dominicum
ignorabant. Intendebam autem, in ipsa spelunca peregrinis pronun-
ciasse evangelium diei dominicae cum exhortatione, et tantus
erat tumultus circa mercatores et cocos et concursus Sarace-
norum et juvenum discursus, quod non potui completere horas,
nisi cum multis impedimentis. Videntes enim me in libro
legere, circumsteterunt, riserunt, clamaverunt, literas inspicien-
tes et admirantes. Prandio peracto venit ad nos in speluncam
Calinus parvus, id est, magister hospitalis minor, dictus Elpha-
hallo, Sarracenus, probus tamen, ut sequentia docebunt, qui me
optime novit, ex priore peregrinatione, et sciebat loqui italicum
et corruptum theutonicum, quod didicerat a peregrinis, cum
quibus saepe ad S. Katharinam peregrinatus fuerat. Hunc
ergo virum interrogavi, quomodo res se haberent circa montem
Synai, et dixi sibi, quae in galēa fuerant dicta. Respondit,
omnia dicta illius mammuci esse mendacia, et quod peregrinatio
S. Katharinae esset jam securissima, quamvis anno praeterito
Arabes monachos tribulaverint ad S. Katharinam, Soldanus
tamen totam [rem] complanasset. His verbis fui multum
laeticatus et duxi virum ad Dominos meos, eos sibi commen-
dans. Statim autem vir dixit nobis, ut iremus secum et eduxit
nos de specu, et circumduxit undique per medium (77A)
castrorum, pēr tentoria Sarracenorum, et ostendit nobis

202

262

162

312

112

Ende

Anfang

